



# **Disputatio de magis, veneficis, maleficis et lamiis.**

<https://hdl.handle.net/1874/454979>

*Magia* 5  
Disputatio  
DE MAGIS, VE-  
NEFICIS, MALEFICIS  
ET LAMIIS.

Præsides

IOANNE GEORGIO GODEL-  
manno, I. V. D. & in Academia Rosto-  
chiana Professore.

Respondente

MARCO BURMEISTERO,  
HAMBURGENSE.

Habita Rostochij XXVI. Febr. anni LXXXIII.  
in Collegio Fratrum.



FRANCOFORTI AD MOENVM,  
Excudebat Christophorus Coruinus.

---

M. D. LXXXIII.

Disputatio

DE MAGIS. VE.  
NIFICIS, MALEFICIS  
ET LAMIS.

Præfide

IOHANNES GEORGIO CODEL.

torum V. D. & in Academia Rofe.

chana Professore.

Respondens

ALFREDUS BRUNSTADTERO.

HAMBURGENSEM.

Milia Folschij xxv. & lxxv.

in Collegio Rofano.



FRANCORTI AD MÛNNY.

Regiæ Scholæ Chirurgicalis Communis.

M. B. LEXNER.

THESES  
DE MAGIS, VENEFICIS, MALEFICIS  
ET LAMIIS.

I.



VAM multa in hoc maleficij negocio confusè, turbulentè, ex sinistra, fanatica & pestilenti suspicione agantur, ex hoc liquet, quòd necessarium & laudabile illud discrimen inter profanos vel infames Magos, Lamias & Veneficas sit confusum, & hæcenus confusè de his actum & pronunciatum.

II.

Nostros quoq; Germanis, vno eodemq; nomine *Zauberer* nominatur Magus, Venefica, & Lamia.

III.

Ideo ne nominum confusio in hac disputatione tenebras offundat, & errorem pariat in irroganda pari pœna, necessariò Magum infamem à Lamia & Venefica seiungere debemus.

IIII.

Magus est, qui supra naturæ ordinem aliquid moliri audet, in turbando multifariam aère, in quacunq; specie ostentanda, in mortuorum spectris educendis, in rerum abstrusarum, aut alioquin longissimè dissitarum commonstratione. Vel breuiter: Qui miracula extra rerum naturam facere creditur.

## V.

Sub hoc nomine illi omnes comprehenduntur, qui ab Hebræis, Græcis & Latinis, varijs dicti nominibus, superstitiosè modoq; vetito futura prædicunt, vt sunt arioli & similes.

## VI.

Arioli diuinant vel fantur futura, & fœderati Diabolis, eos certis ritibus verbisq; conceptis euocant, vel adscititia & conspicua imagine, vel in crySTALLIS, speculis aut annulis, vel aliàs comparant, & ad quæsitâ vel voce respondent, vel picturas & imagines rerum quæsitârum proponunt, vel alijs ludibrijs sciscitanti illudunt.

## VII.

Huc referendi & illi, qui Pythonis spiritu inflati, artem diuinandi profitentur, & res perditas, quis suffuratus fuerit, aut vbi ex reconditâ sint, manifestare possunt. Germanicè die *Warsager* oder *Warsagerinnen* nominantur.

## VIII.

Item hi, qui contra quoscunque hominum tum bestiarum morbos curandos, diuinæ scripturæ vocibus, vel alioqui horribolis dictionibus recitatis aut scriptis, & collo suspensis, vtuntur. Germanicè nominantur die *Segensprecher*.

## IX.

Etiâ Incantatores, qui conceptis verbis pronunciatis, & characteribus vel simulacris aut herbis alijsve rebus adhibitis, ea se conficere existimant, quæ expetunt, Diabolo colludente, & fascino ac præstigijs quædam illis similia adornante, vel reuera expediente, quæ Incantator molitur, vt apud Ouidium venefica gloriatur:

*Cum volui, ripis ipsis mirantibus, amnes  
 In fontes redire suos, concussaq; sisto,  
 Stantia concutio cantu freta, nubila pello,  
 Nubilaq; induco, ventos abigoq; vocoq;  
 Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,  
 Viviaq; saxa, sua conuulsaq; robora terra,  
 Et sylvas moueo iubeoq; tremiscere montes,  
 Et mugire solum, manesq; exire sepulchris,  
 Te quoq; Luna traho, &c.  
 Carmina vel cælo possunt deducere lunam,  
 Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis.  
 Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

X.

Ars mathematica, quæ vna est ex liberalibus, & certissimas  
 habet demonstrationes, ab Imperatore L. 2. C. de Malefi. & Ma-  
 thema. non reijcitur; propterea quòd ibi dicitur: Ars autem  
 mathematica damnabilis est & interdicta omnino. Notat enim  
 tantum eos ibi Imperator, qui sub prætextu suauissimi huius stu-  
 dij, magiam, vel alias diuinationum præstigias, quæ causas non  
 habent physicas, ad exitium hominum exercent.

XI.

Hi omnes cum naturæ peregrini sint, reipublicæque turba-  
 tores, vt qui sæpè suis mendacijs, furti, aut alterius sceleris notam  
 ijs inurunt; qui innocentissimi inueniuntur, digni sunt, quos fe-  
 ralis pestis absumat.

XII.

Et quod dictu horrendum est, Deo conditori suo renunci-  
 ant, foedus cum eo in sacro Baptismo factum rescindunt, filium  
 Dei abnegant, eius beneficia detestantur, nomen blasphemant,

conuicijs & contumelia afficiunt, ipsum diabolum solum adorant, omnem spem & fiduciam in ipsum collocant, imperata sedulo exequuntur, fato tandem functi corpus & animam Diabolo commendant, idque alij per dæmonis familiaris nomen iureiurando, alij chirographo sanguinae proprio scripto, polliceri coguntur.

### XIII.

Quare meritò de iure diuino (quod omnium est antiquissimum & sacratissimum) prædicti magi pœna mortis puniuntur, Leuitici 10. capite. vbi: Vir & mulier in quibus Pytho vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur. Et Deuter. 18. Non inueniatur qui diuinando futura prædicit, nec maleficus, nec incantator, nec magus.

### XIIII.

De iure xii. Tabularum: Ei qui has artes exercuerit, supremum supplicium impositum est. Similiter de iure Ciuili. Iul. Paul. Recept. Sentent. lib. 5. ad L. Cornel. de Sicarijs & Veneficis. tit. 25. vbi sic ait: Magicæ artis conscios summo supplicio affigi placuit, id est, bestijs obijci, cruci affigi: ipsi autem magi viui exuruntur: Etiam libros magicæ artis apud se nemini habere licet: Et si penes quoscunque reperti sint, bonis ademptis ambustisq; ijs, publicè in insulam deportantur, humiliores capite puniuntur. L. cæteræ, §. 1. ff. famil. ercisc.

### XV.

Iure nouissimo ex ordinatione Imperat. Caroli V. & Imperij, In der Peinlichen Halsgerichtsordnung / cap. 109. tales werden vom leben zum todt / mit dem feur gestrafft. Similiter iure Saxonicò lib. 2. Art. 13. in Const. 2. Electoris Augusti, in 4 parte seiner Peinlichen Ordnung.

## XVI.

Veneficæ seu maleficæ (vtriusq; sexus homines, prout & magi) sunt, quæ pharmacis vel venenis ex quacunq; materia, siue ex metallorum, siue stirpium, siue ex animantium, vel excrementorum genere, vel ex corporibus alicubi reconditis & suspensis, periculosos morbos excitant, in tantum, vt quidam in corporis extenuationem, viriumque imbecillitatem inducantur, quibusdam iuncturarum compages dissoluantur, cæteri variè cruciatibus excarnificentur, diuturno morbo torqueantur, cumq; intolerabilibus doloribus vita præscindatur. Græci *φάρμακός* venas foeminas nominant, vtpote perniciosissimæ artis Magiæ veneficæ conscias.

## XVII.

Talia veneficia in perniciem humanæ salutis exercentes, merito de Iure diuino Exo. 22. poena mortis puniuntur. Plus enim est, hominem extinguere veneno & malis pharmacis, quàm gladio, quia minus præcaueri & euitari potest.

## XVIII.

De Iure ciuili poena gladij iuxta L. Corneliam de Sicarijs & venef. puniuntur, verùm postea Imperator Constantinus veneficas concremari voluit: quo genere supplicij Saxones & aliæ passim nationes in eas animaduertunt.

## XIX.

Maleficio affecti propriè ij dicuntur, qui varijs & insolitis plerunque modis præter naturam, Dei assensione, à Dæmonio in suis exercentur corporibus, siue homines sint, siue iumenta, cùm ille ea aliàs vel subit, vel non intrò subit, sed vtilis humores corporis venenata materia siue halitu, intus & foris, conspurcat defoedatq;.

Huius



X X.

Huiusmodi maleficio ex Dei permisso affectus fuit Iob, qui cum vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem, percutit, deformatque tam foedè direque Sathanas, vt ille in sterquilinio sedens miserabiliter saniem testa abraderet. Hic nulla intercessit lamia, aut eius peruersa maluolentia, sed per se potens est in quibuscunque malis rebus perficiendis, si diuinæ maiestatis tantum modò accedat permisso.

X X I.

Hi (vt Paulus Grillandus Iuriconsultus dicit, & experientia testatur) sæpenuerò vbi liberati sunt, ex ore vel per secessum exonerant acus, capillos, ferramenta, clauces, plumas, sulphur, lapides & res tales, quas maleficio læsum vorare potuisse, erat impossibile, non solùm integras, sed nec fractas vorare potuisse, nec in frustra concisas. Hæc Sathanas ad deceptionem hominum facit, in resolutione, vt tales species appareant.

X X I I.

Lamia est, quæ ob foedus præstigiosum aut imaginarium cum dæmone initum, dæmonis persuasum, qualiacunque mala vel cogitatione aut imprecatione designare existimat, veluti aërem insolitis ignire fulminibus, tonitru terrifico concutere, grandinem, tempestates excitare, segetem aliò transferre, ab amasio, quæ præstigiosam formam hirci, porci, vel vituli induit, in montem *Blochsberg* vel *Heumberg* breuissimo temporis spacio baiulari, partim in baculo, furca, aliòve instrumento aliquo aduolare, totam deinde noctem ludis, iocis, comestationibus, choreis & varijs libidinibus cum amasio consumere, milleq; monstrorærum ludibria ostentare. Hinc constat, quàm longo interuallo à Magis & veneficis Lamia distet.

XXIII.

Nominantur etiam strigæ, à strige aue nocturna & infauſta, quam pulchrè Ouidius depingit. Sagæ, à Sagan voce Hebræa, vatem denotante. Alumnæ, vt quæ ſecretò cum inferis & dæmonibus loquuntur. Nos Germani eas nominamus *Hexen/Unholden/Zeuberschen.*

XXIII.

Porro id hominum genus potiffimùm impetitur, quod tali eſt temperamento, vel à cauſis externis vel internis mouetur, vt à dæmonis ſpectro appetitum, vel illius ſuggeſtione tentatum, ſe vt organum illius voluntati non ineptum, ex fucata inductione facile præſtet.

XXV.

Huiusmodi ſunt melancholici, & obiacturam, vel qualemcunq; aliam cauſam, triftes, teſte Chryſoſtomo, cuius hæc verba ſunt: Omni diabolica actione potentior ad nocendum eſt moeroris magnitudo: quia dæmon quoscunq; ſuperat, per moerorem ſuperat. Sunt item Deo diffidentes, impij, illicitè curioſi, peruerſè in religione Chriſtiana inſtituti, inuidi, malitioſi, vetulæ, vix mentis compotes, ſimilèſq; lubricæ fidei. (Qui enim facile credit, facile & recedit) vel inſignis malitiæ mulierculæ.

XXVI.

His vt instrumentis congruis inſidiatur quibuſcunq; poteſt modis, ſuo tempore & loco: ſingulos vt cuiuſq; animi ſtudia & affectus ex certis indiſijs cognouerit, peculiari aliqua ratione adoritur, inſectatur, illicit, vel aſſumpta plauſibili forma, vel cogitatione imaginationeque variè agitata & corrupta, donec tandem ipſius propoſito conſentiant, ſe ipſius perſuaſioni dedant, quicquid in mentem ille ingerat, credant, tanquam fœdere ob-

ligati, ab illius nutu pendentes, ipsi obtemperantes, vera omnia esse quæ suggerit, rati.

### XXVII.

Plurimum verò huc sexum foemineum lubricum, creditum, malitiosum, impotentis animi, melancholicum: cum primis autem effoetas, stupidas, menteq; titubantes vetulas, inducit subdolos ille veterator. Quo nomine Euam conuenientius suæ persuasioni organum, non Adam, in rerum primordijs, quum duo solùm existeret homines, aggressus est, quam leui etiam disputationis velitatione vicit.

### XXVIII.

Mulierum enim sexus incautus & mollis est: incautus, quia non omnia quæ videt aut audit, cum ratione considerat: mollis autem, quia facilè flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Nullumq; genus tam facilè, quàm mulierum, decipitur. L. si mulier. C. Ad Velleia, L. sicut. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum. L. assiduis. post prin. C. Qui potior. in pign. habeantur. L. 1. §. accusationem, ibi propter sexus infirmitatem. ff. ad S. C. Turpill.

### XXIX.

Porrò ne vsq; adeò absurdum videatur, imaginatiuæ virtutis instrumenta in his mulierculis vitari, & oculorum aciem perfringi, animaduerte melancholicorum cogitatus, voces, visa & actiones, horum siquidem alij se esse bruta animalia credunt, ipsorumq; voces & gestus imitantur, nonnulli se vasa fictilia factos esse putant, alij mortem timent, quam sibi tamen interdum consciscunt, pleriq; se criminis reos imaginantur, vt pauidi quemcunque viderint ad se ingredientem exhorrescant, veriti ne manibus ipsis iniectis captiui abducantur, & ad tribunalia supplicio afficiendi pertrahantur.

Est enim

X X X.

Est enim imaginatio thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum: qua ratione possunt dæmones humores & spiritus mouere interiorum exteriorumq; sensuum, atq; ita ad organa species aliquas inducere, quasi extrinsecus dormientibus nobis & vigilantibus verè occurrerent res ipsæ.

X X X I.

Dæmones verò nacti à Deo talem potestatem, species eiusmodi formandi, & eas in animales spiritus imprimendi, talibus formis ostendunt personas, modò lætas, edendo, bibendo, saltando, canendo, venerem exercendo, modò tristes, quæ nihil nõ mali fabricent vel patiantur, modò humanas, modò bestiales, modò opprimentes, modò volantes, & animæ sensus ijs infigitur, tanquam rebus ipsis.

X X X I I.

Hinc fit, quòd homini aliquando videatur, se esse asinum sacro coopertum, plerunq; aquilam volantem, nonnunquam cum Diana & eius nymphis vel etiã alio muliercularum cœtu de loco ad locum transferri, ducere choreas, longiùs peregrinari, & quibuscunq; alijs interesse delirijs. Ideoque talia ijs frequenter in somnis & nocte contingunt, interdium non item, nisi melancholicis quibusdam & infanis, qui idem vigiles patiuntur, quod alij in somnis.

X X X I I I.

Huc referri potest elegans cap. Episcopi. 26. q. 5. Illud etiam non est omittendum, quòd quædam sceleratæ mulieres retrò post Satanam conuersæ, dæmonum illusionibus & phantasmatis seductæ, credunt se & profitentur cum Diana nocturnis horis dea paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum

terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus obedire, velut dominæ: & certis noctibus ad eius seruitium euocari. Siquidem ipse Sathanas qui transfiguratur se in angelum lucis: cum mentem cuiuscunq; mulieris ceperit, & hanc per infidelitatem sibi subiugauerit, illico transformatur se in diuersarum species personarum, atque similitudines: & mentem quam captiuam tenet, in somnijs deludens, modò læta, modò tristia, modò cognita, modò incognita personas ostendens, per quæq; deuia deducit: & cum solus spiritus hoc patitur, nisi de his hoc in animo, sed in corpore euenire opinatur. Quis enim in somnijs & nocturnis visionibus non extra seipsum deducitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam vigilando viderat? Quis verò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur?

### XXXIII.

Essentiam enim creaturæ mutare non possunt aut efficere, vt maius corpus transeat vel penetret per spacium inproportionatum, id est, contra naturam est, vel impossibile, vt per foramina angusta tales foeminae ingrediantur.

### XXXV.

Quemadmodum & illud, quod vno eodemque tempore sint in diuersis locis, vt vna hora *auff dem Blockberg* & in lecto mariti, hoc est enim contra humani corporis modum, vtpote quod naturale est & physicum, esse vbique. Quare fieri non potest, vt mulieres simul sint alibi, & lateribus vel mensæ mariti accumbant.

### XXXVI.

Confitentur autem subiectæ torturis, illas illa hora fuisse *auff dem Blockberg* saltasse, conuiuio exceptas à diabolo, &c. Cum  
tamen

tamen domi cum marito fuerint. Prout nota est historia illa ce-  
lebris omnibus. Ariolus vel Pythius quidam cui hæcenus Iudex  
fidem appofuerat, ad eum peruenit, dicebatque, fe adhuc vnam  
maleficij ream indicaturum, nifi iniquè ferret: prætor annuit. Is  
eius vxorem etiam talem eſſe, oftendit, ac ne quid hac in re hæſi-  
taret, palàm fe id demonſtraturum oftendit, horamque præfigit,  
qua eam reliquarum ſagarum conuentui & choreis intereſſe, ſuis  
ipſe maritus teſtaretur oculis. Conſentit iudex vel prætor. Qui  
ſtatuta hora quofdam amicos & conſanguineos in eadem menſa  
ſecum & cum cõiuge cœnare voluit, ſuppreſſa interim conuoca-  
tæ ſocietatis cauſa. Hinc deſignata ab ariolo hora, menſa ſurgit,  
iubetq; omnes ſimul cum vxore permanere, nec priùs loco di-  
moueri, quàm ipſe rediret. Deductus porrò ab ariolo quò is vo-  
luit, lamiarum cœtum, choreas, & neſcio quas alias voluptatum  
illecebras, quibus ipſius intererat coniunx, reliquarum delicias  
ſectata, non obſcurè videbatur ſpectare. Mox domum reuerſus,  
amicos vocatos eo quo reliquerat ordine, vnà cum ſua vxore,  
latos menſæ aſſidere comperit. Et cùm ſtudioſè, num ſtationem  
deſeruiffet coniunx, percunctaretur: eam eidem aſſixam fuiſſe  
loco in eius abſentia, vno ab omnibus affirmabatur ore: Itaque  
rem omnem aperuit prætor, ob inſlictam innocentibus poenam  
ferò poenitudine ductus, Pythium accuſatorem morte multa-  
bat.

### XXXVII.

Recenſet etiam D. Alciatus Iuriſconſultus doctiſſimus lib. 8.  
Parergon Iuris cap. xxij. Hæreticæ prauitatis, vt vocant, inquiſi-  
torem in ſubalpinis vallibus, aduerſus hæreticas mulieres, quas  
veteres lamias, nos ſtrigas vocamus, inquiſuiſſe, & ſupra centum  
ſtammiſ conſumpſiſſe: quotidieq; ceu noua holocauſta alias ſu-  
per alias Vulcano obtuliſſe, è quibus non paucæ helleboro po-  
tiùs quàm igne purgandæ videbantur: donec ruſſici arreptis  
armis vim illam inhiberent, & negocium ad epiſcopi iudi-

cium deferrent. Et post: Et quamuis aliqui ex maritis, magnæ fi-  
dei homines, asseuerarent eo potissimum tempore, quo illæ in  
ludo & choreis, sub Tellina arbore fuisse dicebantur, se explo-  
ratum habere, in lecto potius secum fuisse: tamen respondeba-  
tur, non illas, sed cacodæmonem potius, vxoris forma assumpta  
marito illusisse. Atqui ego replicabam: cur non potius cacoda-  
monem cum suis dæmonibus, illam verò cum marito fuisse præ-  
sumis? cur verum corpus in ficto lusu, phantasticum in vero lecto  
comminisceris? quid hîc corpus est vsq; adeò augere miracula,  
& non tam theologum quàm τετραπόλορον agere, sæuiorem quæ  
partem in pœnis eligere? Constat ex illis actis, semel in eo lu-  
dicro per quandam mulierculam nomine I E S V appellato, o-  
mnem illum apparatus, omnes saltatrices cum amasijs suis re-  
pentè euauisse; qui fieri id potuit, si vera fuissent corpora & non  
phantasmata, & Tantali horti; quod apud Philostratum libro  
quarto, etiam Apollonius Tyaneus censuit: & apud Plutarchum  
in Bruti vita C. Cassius. Nam & medici maximos effectus corru-  
ptæ menti, imaginariæq; ludificationi tribuunt: vnde Ephial-  
tici, afflati, superstitiosi, incubitati, amore furentes, imaginosi,  
Lycaones, Cynanthropi, qui tamen medicamentis curantur:  
videnturque hæc esse quæ Plinius & alij veteres, Faunorum ludi-  
bria appellant, pæoniaq; herba emendari censuerunt, vt etiam  
harum plerasque curari posse sit verisimile, nisi quòd pauperes &  
foemellæ omnes sunt, quibus talis facultas nō suppetit. Ego certè  
magis iuri Pontificio, communiq; nostratium doctorum in-  
terpretationi, hac in quæstione, quàm Theologis istis tribuerim,  
maximè in re à Synodo decisa in Concilio Anquirens. cap. 1. vbi  
talia phantasmata mentibus à maligno spiritu irrogari ait. Et rur-  
sus: infidelis, inquit, non in animo, sed in corpore euenire opina-  
tur: quis enim in somnijs, & nocturnis imaginibus non extra se  
ipsum deducitur? quæ etiam videtur fuisse Augustini sententia  
lib. 18. de Ciuit. Dei. cap. 18. vbi verum, inquit, corpus nulla arte  
dæmo-

dæmonum conuerti potest, sed phantasticum: quod etiam cogitando siue somniando per rerum innumerabilia genera variatur: & cum corpus non sit, corporum tamen formam capit, sopitis aut oppressis corporeis sensibus, ita vt vera corpora alibi iaceant, sensibus obseratis. Nec refert, quod ibi Herodiadi aut Diæne honor exhibetur. Hactenus Alciatus. Et Paulus Grillandus Iurisconsultus de Sortilegijs cap. 10. refert sequentia. Quidam maritus ex oppido agri Sabinensis habebat vxorem maleficam siue strigã, vt vulgò dicunt. De crimine autem solùm erat suspicio, nõ certa noticia. Nam cum aliquoties à marito rogaretur, num eius esset professionis, negabat cõstanter. Crescente porrò rumore, & viris fide dignis apud maritum eius flagitij vxorem insimulantibus, quòd ea familiariter vteretur alijs mulieribus, huius criminis ratione cognitis, cum quibus etiam se turpibus miscere sceleribus, & nocturnos agere coetus videbatur: decreuit maritus ipsam in eiusmodi operibus obseruare, & apprehendere, & cœpit pluribus noctibus diligenter & attentè inuigilare, noctesque circiter duodecim egerat insomnes, attendens studiosè, num illa aliquò ad dæmonum lusum vel aliud maleficium noctu euagaretur, & num penes se in lecto permaneret nocte tota quando lectum conscendisset: nihilque vnquam fraudis comperit, sed manibus illam semper in lecto contrectauit. Quum verò post dies paucos vnà cum quibusdam alijs de eodem crimine accusatis in carcerem conijceretur, subdereturque quæstionibus, confessã est dæmonum, se tali interfuisse lusui, vnà cum alijs mulierculis incarceratis, flagitijque huius reis, tali die, vndecimo mensis, &c. tali nocte, hora tali, &c. idem fatebantur & alia. Maritus verò in coniugis patrocinium asserebat præstito iuramento grauissimo, eam illa nocte designata, & maximè illà hora, secum decubuisse in eodem lecto: & se eam tum non studiosè semel tantùm tetigisse, sed pluries, ac cum ea loquutum fuisse. Hactenus Grillandus.

Quod



## XXXVIII.

Quod verò obijcitur: Lamias contractum cum Sathana ini-  
re, ideoque vel ob hanc solam causam esse comburendas, &c. Ve-  
rùm innumeris rationibus potest ostendi, contractum & cœdus  
hoc esse nullum, nihilq; huc facere regulam: Vniuscuiusq; con-  
tractus initium esse spectandum, & causam. L. curatorem. in pr. ff.  
Mandati, L. i. §. non solum depositi. L. si tamen. ff. ad Macedo.

## XXXIX.

Ac primò quidem ratione personarum. Quia inter quos nul-  
la est communio, inter eos quoq; nullum potest esse ius, nullus  
naturaliter contractus.

## XL.

Ratione rerum, quia quæ dari fieriue nec de iure, nec natu-  
raliter possunt, eorum penitus nulla est obligatio.

## XLI.

Ratione conditionis adiectæ stipulationi vel pacto, quia nec  
in stipulantium est potestate, nec ita in casu posita, vt natura sit  
possibilis.

## XLII.

Ratione formæ: quia non ea fit, quæ dat esse rei, cuiusque  
omissio vitiat actum.

## XLIII.

Ratione dissensus, quia semper & de alio & aliter sentit dæ-  
mon, quàm homo.

## XLIV.

Postremò non nisi imaginarium est vniuersum negotium.  
Quæ autem in spiritu tantùm fiunt, eorum per testes veros & cer-  
tos, hoc est, oculatos, non potest haberi veritas.

Itaq;

XLV.

Itaq; fœderis huiusmodi noticiam, per experientiam & ex facto consequi nequimus. Eorum enim quæ non apparent, quæve non sunt, nulla qualitas est. L. eius qui in prouincia. ff. si certum petatur. l. fin. ff. pro socio.

XLVI.

Ideò dolo circumuentas, vi coactas, metu compulsas, errore inductas, ignorantia deceptas, lamias esse cùm constet: profectò miseris hoc obijci non poterit, quod in contractibus attenditur: Quæ ab initio sunt voluntatis, ex postfacto fiunt necessitatis. L. si cut. C. de oblig. & actio.

XLVII.

Nam vbi nullus est contractus, ibi nec contractus initium: vbi verò dolus, vis, metus, error, ignorantia, ibi neq; voluntas, neque consensus esse potest.

XLVIII.

Sunt enim hæc omnia voluntati consensuiq; contraria, imprimis dolus & vis. L. & eleganter. ff. de dolo. L. in causæ. §. i. de minorib. L. i. Quod metus causa: vbi propter necessitatem contrariam voluntati. Labeo enim dolum esse definit, calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendumq; alterum, L. i. §. i. ff. de dolo.

XLIX.

Quid autem ad hæc tria grauius efficaciùsq; lamijis simplicibus accidere potest, quàm dæmonis tentatio, cui nec voluntas deest, vt totum terrarum orbem seducat: neq; diligentia, quia alium actum non habet: neq; technæ artésque, quibus circumuenire, fallere, decipere, non modò fœminam, sed constantissimum prudentissimumq; quemq; hominum potest.

## L.

Quare quemadmodum homo sæpe hominem dolo inducit, ad aliquid faciendum, quod alioquin ne cogitaret quidem: ita mirum non est, inquit I C. Grillandus, vt mulier per se pia & honesta, dæmonum tentationibus eò delabatur, quorsum nunquam forsân peruenisset.

## L I.

Si vim spectes, quæ maioris rei impetus est, qui repelli non potest. L. 2. ff. Quod metus causa. Quid dæmonis impetu violentius, vtpote qui mentem harum muliercularum ita captiuam ducit, vt credant ei (teste D. August. de ciuit. Dei, lib. 2. cap. 10.) quod nec est, nec esse potest.

## L II.

Quid dicam de metu & timore: enimuero quoscunque dæmon superat, per mœrorem & metum superat. Hic certè illatus est metus & timor. L. metum autem. ff. Quod metus causa. à formidine obiectorum, quæ & in constantissimum hominem cadit.

## L III.

Restat error & ignorantia. Clarum autem est, errantis nullam esse voluntatem, & ignorantis nullum consensum, L. si per errorem. de iurisdic. omn. iudicum. Quin & hunc inuito similem esse, L. qui potest, de Reg. iuris. & furioso. L. si à furioso. ff. si certum petatur. cui parçitur in omnibus.

## L IIII.

In lamijs autè nostris, error mentis, & cæcitas voluntatis, primum à morbo pendet naturæ, cuius factum æquo animo ferendum est, L. in summa, de aqua plu. arcend. cùm melancholicis tantùm vexantur morbis, ita vt neq; dijudicare quicquam rectè possint,

possint, multo minus eligere, quodque electionem consequitur velle, quod omnino liberum denotat arbitrium. L. fideicommissa. §. quanquam. ff. de legat. 3. Quanto igitur maius mentis vitium est quod patiuntur, quam amoris furor, quo tamen nihil esse vehementius dicitur in Auth. Quibus modis. ff. legit. §. illud quoq;. tanto igitur minus puniendum est.

#### L V.

In tantam enim mentis alienationem incidunt diaboli ludibrijs, vt diximus, vt nesciant quid agant, oculiq; earum ita perstringantur, vt scilicet videant credantq; quod non est. Dum autem vim metumq; patiuntur, non tamen facere possunt, quæ patiuntur.

#### L V I.

Deinde vnde tibi constat, lamias cum Diabolo foedus inire, libidinem exercere, grandines excitare? Nónne ex confessione earum?

#### L V I I.

At quod fatentur, vel coactè vel sponte fatentur: si coactè, confessio est mutila & nullius ponderis, quia cruciatibus torturæ intolerabilibus expressa. Quid autem periculosius, quam in diabolicis negocijs sine maleficij patrati testibus pendere saltem ex confessione anus dementatæ per torturam expulsa.

#### L V I I I.

Oportet enim in criminalibus, antequam iudex procedat ad torturam, probationes adesse luce meridiana clariores. Nec statim à quæstionibus incipiendum, nisi certa adsint indicia. Nec etiam semper iudex quæstionibus fidem adhibebit, cum res sit fragilis & periculosa, quia alij tanta sunt duritie, vt cruciamenta

omnia contemnant, alij doloris impatientia in quouis potius  
mentiri, quàm eiusmodi pati dolores volunt.

### LIX.

Huc referendum, quod Ioannes Franciscus Ponziuibius IC.  
de lamiarum confessione scripsit, dum ita argumentatur: Cum  
tales personæ sint illusæ. Ergo dici debet, earum confessionem  
etiam esse erroneam, nec admittendam. l. error. l. de ætate. ff. de  
interrogat. actio. Confessio enim debet continere verum & pos-  
sibile, vt per gloss. in l. i. C. de confess. per gloss. in c. fi. de cōfess. lib.  
6. l. inde Neratius. §. fin. ff. ad l. Aquil. Ergo non sequitur: Iste  
mulieres sic confitentur. Ergo sic est. Nam confessio longè di-  
stat ab actu (vel actus possibilitate,) & quiquid est contra natu-  
ram, deficit in suis principijs. Ergo, naturaliter est impossibile.  
Præterè in criminalibus non est standum soli confessioni rei, vt  
per Bald. in l. i. C. de confess.

### LX.

Si sponte: aut impossibilia sunt, quæ fatentur, vt grandines  
prouocasse, per aërem volasse, in bestias fuisse transmutatas, cum  
dæmonibus venerem exercuisse, & similia: aut fatentur quæ fa-  
ctu sunt possibile, vt venenum exhibuisse alicui, &c. aut fatentur  
quæ facta sunt, & verè acciderunt, in illo loco aliquem morbo  
corruptum, segetes tempestatibus damnum perpeffas, &c.

### LXI.

Confessio primi generis non potest puniri, quia versatur cir-  
ca *διδωλλον*: secunda multò minus, quòd caret effectu: tertia man-  
ca est, quoniam diabolus ex euentu rei statim inculcat misera-  
rum muliercularum phantasia, ipsas fecisse, quod naturaliter fa-  
ctum, aut ipsemet fecit.

## LXII.

Si homicidij conuincuntur, vel alterius maleficij, absq; vlla dubitatione pœna mortis puniri possunt.

## LXIII.

Singulari autem arte à diabolo illuduntur, vt in alijs, dum ipsi persuadēt eas aërem turbare posse, fruges corrumpere, grandinem excitare. Simulatq; enim ex elementorum motu & naturæ cursu, mutationem aëris & tempestates fore præuidet, vel alicui infligendam ex abstrusa dei voluntate plagam, cuius ipsum spectat executio, intelligit: tunc harum muliercularum mentes agitat, varijsq; imbuīt imaginibus & suggestionē multiplici, quasi ob inuidiam in proximum, vel ob vindictam aduersus inimicum, sint aërem turbaturæ, tempestates excitaturæ, & prouocaturæ grandines.

## LXIII.

Itaq; eas instruit, vt quandoq; silices post tergum in occidentem versus proijciant, aliquando vt arenam aquæ torrentis in aërem conijciant, plerunq; scopas in aquam intingant, cœlumq; versus spargant, vel fossula facta & lotio infuso, vel aqua digitum moueant: subinde in olla porcorum pilos bulliant, nonnunquam trabes vel ligna in ripa transversè collocent; & alia id genus deliramenta efficiant: atq; vt arctiùs eas Satan illaqueet, diem & horam sibi dictis rationibus notas præfigit. Cum verò hæc successum vident, magis confirmantur, quasi euentus hic subsequatur ipsarum operationem.

## LXV.

Nec statuendum, vesanarum muliercularum actioni obedire elementa, & ad harum nutum, institutam à Deo naturalium rerum seriem impediri vel inuerti, quod haud dubiè continget.

ret, si harum arbitrio! tempestates, pluuia, grandines & fulmina inferirent, vt quodcumque & quomodo hæ iubeant, cam sequantur: sic quoq; diuina potentia ab humana voluntate superaretur, tanquam in seruitutem redacta, vt pulchrè docet Hippocrates.

#### LXVI.

Recta itaq; erit sententia hæc Senecæ: Rudis hæc credebatur antiquitas, & attrahi nubes cantibus & repelli, quorum nihil posse fieri, iam est palàm, vt huius rei causa nullius philosophi schola sit adeunda.

#### LXVII.

Ceterum tempestatum & grandinum causæ sunt nostra peccata, Aggæi 2. cap. Percussi vos vento vrente, atq; omnia manuum vestrarum opera, & non fuit qui ad me conuerteretur. Et cap. 1. Propter hoc prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terræ prohibitum est, ne daret germen suum. Item ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt.

#### LXVIII.

Similiter vana est persuasio, quòd cum Diabolo concumbant & rem habeant. Nec enim natura fieri potest, nec assentitur Philosophia, spiritus corpore nudatos, amore foeminarum capi, aut ex ijs generare posse. Vbi enim non sunt mēbra genitalia, nec coeundi est studium vel potestas: & sicut spiritus nudi esurire nequeunt, sic nec Veneris libidine possunt inflammari. Se amore captas esse, quandoq; mentiuntur dæmones, vt amentes vicissim foeminas in officio arctius constringant.

#### LXIX.

Ad lamiarum potentiam tandem quoq; refertur, quòd se in lupos, hircos, canes, feles, aut alias bestias pro suæ libidinis dele-  
Au ve-

Et uerè & substantialiter momento transmutare, & tantillo tempore in homines reformare posse, fateantur. Verum id non credendum existimo, sed prorsus ab omni ratione id alienum est, hominem ad Dei similitudinem & imaginem creatum, conformatumq; ex corpore & anima, & Spiritus sancti templi, rationis hospitium, sublimem, erectum, & ad cœli quasi cognationis domicilliq; pristini conspectum excitatum, imò μικροδοσμον, cui Deus omnia subiecit, oues, boues, campi pecora, volucres cœli & pisces maris, eaque propter solum hominem condidit, hunc inquam, in lupum, bestiam, irrationabilem transmutari. Quare si constat, illam metamorphosin non reuera fuisse factam, quod etiam nemo sanæ mentis inficiari poterit, & propterea imaginariam esse confessionem, atq; hac in parte falsissimam: quam fidem quæso merebuntur reliqua, quæ confitentur flagitia, quæ in ea transformatione, & larua lupina, designata fuisse fatentur?

#### L X X.

Quemadmodum & illa: quod monstrosas vetitâsque artes ediscant. Nullas siquidem norunt, nec libros, prout & magi, habent, quorû adminiculo in sua professione instituantur promoucanturq;e, nullas etiam præscriptas coniurationum formulas, quas sequuntur, nullum prætereà annulo incarceratum, aut crystalli soliditate obseptum diabolum in suum ministerium, velut pleriq; magi, circumferunt. Sed corruptam tantùm multiplicibus imaginibus ab immundo spiritu ingestis phantasiâ, solummodò doctorem venerantur & colunt, cui ut plurimum propensius confisæ, miserè decipiuntur.

#### L X X I.

Ex quibus omnibus constat, lamias ex mera imaginatione, non reuera, peccare. Quare commiseratione potiùs, quàm pœna dignæ sunt, omniq; potiùs auxilio, quod dolum, vim, metum passis,



passis, furiosis, deceptis, ignorantibus, impotentibus, aut ipso iure competit, aut ratione suadente tribuitur, neq; enim pœna pœnæ potest esse, nec afflictionem afflicto addere debemus, per l. nauis onustæ. §. cum autem. ff. ad l. Rhod.

### LXXII.

Atq; hæc sanè est naturalis ratio, cur neq; furiosi, neq; phrenetici puniendi sint ex aliquo delicto, quòd satis suo furore torqueantur, & sua calamitate puniantur. l. diuus. ff. de off. præf. l. pœna. §. sanè. ff. ad l. Pompeiam de parr. Itaq; fati vt illos, sic & nostras infelicitas excusat. Animo enim illi & rationis vi destituti sunt, nec vllum habent mentis & voluntatis consensum. Ergo nullo modo puniendi sunt. Nostræ, quæso, quid grauius delinquant, quàm furiosi, quàm dormientes, nec absimiles sunt nostrarum muliercularum actiones illis dormientium: quas Bartol. in l. vt vim. ff. de iust. & iur. recenset. Et tamen ille Legum coruphæus talia commissæ rectè excusat, non secus ac si à furiosis perpetrata fuissent. Cur ergo nostræ, quarum similis est ratio, magis peccent illis, qui dicuntur non peccare?

### LXXIII.

Cum ergo lamia errore & phantasia delusæ, & Satanæ peruersa institutione seductæ sint, nec alicui ab ijs malum reuera, at solùm imaginatione, illatum esse sciatur: saniori doctrina informandæ erunt, præcésque tam publicè quàm priuatim pro ijs habendæ, vt ludibrijs Diaboli repudiatis, rursus ad Ecclesiam reuertantur.

### LXXIIII.

De pœna lamiarum sic statuit Iurisconsultus Paulus Grillandus de sortilegijs: Nota, ait, vnum valde singulare, quòd illarum apostatarum duæ sunt species. Vna est, quæ simpliciter retrocedit à fide, & sequitur cultum & obedientiam dæmonis: altera est, quæ

quæ postquam Christi fidem abnegando reliquit, & deiecit ex corde suo, iterum se baptizat expressè in nomine diaboli, & aliud nomen sibi superimponit, licet vtraque pars sit damnata, prior tamen si peccatum suum reuocat, admittitur ad poenitentiam, & euitat poenas corporales sicuti hæretici, l. Manichæos, C. de hæreticis.

LXXV.

Idem Theologi autores Mallei, in tertiæ partis initio, quæstione xxxv. his verbis docent: Ex corde vero apostatæ si nolunt resiliire, tradentur curiæ seculari: si autem velint, recipientur vt hæretici poenitentes.

LXXVI.

Potest autem iudex poenam arbitrariam non tamen vitæ pro delicti ratione & magnitudine imponere, respicienti foeminæ in Christiana fide confirmatæ. Quorsum respexisse videtur sacratissimus Imp. Carolus V. in der *Peinlichen Halsgerichts Ordnung*/cap.109. *von der Zauberey, vbi Imper. Wo aber jemand Zauberey gebraucht / vnd darmit niemand schaden gethan hett / sol sonst gestrafft werden / nach gelegenheit der sacht.*

LXXVII.

Poenam enim harum vetularum, mitigaret aliàs & earum ætas atq; senectus: quia plerumq; eam senectutis partem attigerunt, quæ decrepita dicitur, quæ aliàs semper cum animi delirio & iudicij lapsu naturaliter coniuncta est, & poenæ relaxationem veniamq; meretur, simul & tormentis, quibus hæ vetulæ subijciuntur, eximit. Grauius etiam quo ad sexum puniuntur viri, quàm mulieres, quæ leuiorem poenam merentur.

LXXVIII.

Si ex vsu videbitur iudici ad conseruandam Reipub. tranquillitatem, exilio, vel poena pecuniaria poterit eas mulctare,

donec vitæ innocentia verè se conuersam esse & fidelem, persisteretque comprobet. Eiusmodi esto poena temeritatis, quòd demoniacæ suggestioni & ludibrijs non satis constanter resisterit, imò etiam fatua consenserit.

LXXIX.

Si verò poenitentiam agere noluerit, & in errore permanserit, tunc cum illis, vt hæreticis impoenitentibus & prorsus desperatis, agendum existimo, in tantum, vt illa arbitraria poena possit vsq; ad mortem extendi.

LXXX.

Extat etiam Constitutio pulcherrima Caroli Magni, in Constitutionibus eiusdem de rebus Ecclesiasticis & Ciuilibus, folio mihi 74. Constit. xxv. cum annotat. IC. Basil. Viti Amerbachij; de poena huiusmodi lamiarum: Qui tempestates faciunt, placuit sancto Concilio, vt vbicunq; deprehēsi fuerint, videat archiepiscopus diœcesis illius, vt diligenter examinentur, si fortè confiteantur aliquando, conijciantur in carcerem, sed tali moderatione fiat districtio, ne vitam perdant, sed vt saluentur in carcere, dum Deo inspirante sponteant emendationem peccatorum.

CLARISSIMO VIRO DOMINO

Georgio Walch / Serenissimi Archiducis Ferdinandi Quæstori & Consiliario Rotenburgi ad Nicrum, amico colendo, S. D.



*S*apienter, vir clarissime, Isocrates dixit: Amicitiam parentum debere esse hereditariã. Cum itaq; inter T. H. & patrẽ meum sanctã memoriã optimum, candidũ & pium Hieremiam, magna intercesserit familiaritas & amicitia, non potui intermittere, quin illam quã inter vos sanctã & illibata fuit, conseruarem & renouarem. Peropportunẽ autem ante biennium accidit, cum in patriam propter obitũ dulcissimi patris, (optimi quẽ in his terris habui amici,) à meis euocatus essem, ut ad T. H. quoq; peruenirẽ, ubi non solum T. H. mihi & meis omnia humanitatis, amicitia & beneuolentiã officia usque ad eò exhibuit, ut à T. H. nihil ampliùs proficisci potuerit: verũ etiam te verum, non fucatum patris amicum fuisse, non multis verbis (prout nunc moris est) sed factò ipso declarasti. Pro quibus omnibus ita me tibi deuinxisti, ut ad quauis officia semper me tibi

paratissimum esse debere ingenuè profitear. Quare ut aliquo modo saltem gratitudinem meam T. H. ostenderem, munusculum hoc literarium ex Nundinis tibi mittere volui: quod equidem exiguum est, si ex sua Et tanta ista dignitate tua spectetur: at si ex meo erga H. T. animo aestimetur, permagnum esse affirmo. Quia autem difficile illud est in hac disputatione de Lamijs, ubi tot sunt opiniones Et sententia, quot capita, punctum illud inuenire, in quo immota consistat veritas: aut saltem eiusmodi medium, quò tutissimè eas, hoc est, neq. in doctrinam veritatis impingas, neq. pacem publicam turbes, vel periculum insontibus crees, vel nocentes licentia deteriores reddas. Quorum utrumq. quia graue est, homini presertim pietatis Et veritatis studioso, H. T. mihi vitio non vertet, si quando magis ad illius sapientissimi I. C. iudiciū Et responsum oraculumq. quasi diuinum inclinare videar: Qui in reb. dubijs & obscuris mitiorē semper sententiam sequendam dixit. Item: Melius esse multos nocentes absolvere, quàm vnum innocentem condemnare. Non enim hoc à me factum est ut peccandi impunitati patrociner, sed ne cuiquam iniuria fiat, Et ne plurimum malorū ansa praebeatur. Nec etiam in hunc finem

finem præsens disputatio est suscepta, quò alijs ali-  
quid veluti nouus dictator præscribere velim, sed  
vt occasionem dem vniuersis, qui hanc censuram  
& disputationem legent, collata sententiarum di-  
uersitate, quid sentiendum atq; statuendum sit.  
Agitur enim hic nõ de tritico vel oleo legato, sed de  
vita, existimatione & sanguine hominis, quibus  
rebus nihil est orbe terrarum preciosius. Quapro-  
pter cautè agendum, quando de vita morteq; ho-  
minis iudicium ferendum est, ne Iudices ex affe-  
ctu, vel ignorantia, aut dubia conscientia aliquid  
admittant, cuius ipsos postea pœniteat: & verum  
experiantur quod Poëta canit: Iudicij vindex tã-  
dem Deus extat iniqui. Deus Optimus Maximus  
per quem Reges regnant, & Legum conditores iu-  
sta decernunt, T. H. diu seruet & prosperet. Ro-  
stochij ad littus maris Baltici in vigilia Apostoli  
D. Matthie, anno 1584.

Ioannes Georgius Go-  
delman, D.

MAGNIFICIS ET NOBILIS-  
simis, D. Ioachimo Crusio, D. Ioachimo von der  
Lüh / D. Theodorico Beuerneſto, Equitibus  
& Conſiliarijs Megapolenſib. pa-  
tronis colendis,  
S. D.



MAGNIFICI & Nobiliſſimi Heroës: Cum in Or-  
dinatione criminali Caroli V. quam nominamus  
die Peinlich Halsgerichts Ordnung / ad explicatio-  
nem Capituli 109. Von den Zauberern / perueniſ-  
ſem: Volui iſtam materiam auditoribus aliquan-  
to copioſius proponere, tum vt ea magis magiſque ipſis inno-  
teſceret, tum vt ſcire poſſent, differentiam inter Magos, Ve-  
neſicas & Lamias obſeruandam eſſe, quò pro qualitate deli-  
cti, diuerſa pœna his inferatur. Volui etiam ea de re publi-  
cè cum auditoribus conferre, vt ex mutua & familiari colla-  
tione veritas manifeſta fieret. Secutus autem ſum per om-  
nia ferè ſententiam IOANNIS WIERI, viri doctiſſimi, qui  
ante aliquot annos, De præſtigijs Dæmonum tam ingenioſè,  
doctè & eleganter ſcripſit, vt ab omnibus fere numinis loco  
habeatur. Quem IOANNES BODINVS Iuriſconſultus  
refutauit, non tamen ita, vt multis, qui contrarium cum Wie-  
ro ſentiunt, omnino ſit ſatiſfactum. Vobis autem Magnifi-  
cis & Nobiliſſimis Heroibus, has Theſes dedicare volui. Pri-  
mò, vt meæ in vos obſeruantiæ & amoris teſtimonium publi-  
cum extaret. Secundò, vt auctoritates veſtræ, quibus (vnà cum  
pietate ſingulari, eruditione præclara, experientia longa, alijs-  
que virtutibus eximijs) præditi eſtis, contra maleuolorum mor-  
ſum, quibus non niſi ſua placent, in hac diſputationis velitatio-  
ne mu-

né munimentum essent. Deus Optimus Maximus diu Magnificentiam dignitatemque vestram seruet & prosperet. Rostochij  
6. Februarij, anno LXX XIII.

*Ioannes Georgius Gödel-  
man, D.*





1803662

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to contain names and possibly a date.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to contain names and possibly a date.

